

Universitätsbibliothek Wuppertal

Plvtarchi Chaeronensis Moralia, Qvae Vsvrpantvr

Svnt Avtem Omnis elegantis doctrinæ Penvs : Id est, varij libri: morales, historici, physici, mathematici, denique ad politioem litteraturam pertinentes & humanitatem : omnes de Graeca in Latinam linguam transscripti summo labore, cura, ac fide

Plutarchus

Francoforti ad Mœn, M.D.LXXXII

De consolatione ad Apollonium liber

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-289](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-289)

PLVTARCHI DE CONSOLA-
tione ad Apollonium, liber.

5 I AM inde ab eo tempore, quo inaudiui filium tuum, Apolloni, adolescentem, modestum plane atque frugi, & pietatis in deos, parentes, atque amicos ita vt non multi alij obseruantem, immatura morte extremum vitæ diem confecisse: socium me tui doloris ægritudinisque habuisti. Verùm sub ipsum funeris tempus, erat alienum te
10 compelli abs me & moneri vt casum hunc humaniter ferres: cùm tu ob insperatam hanc calamitatem & animo langueres, & corpore: miserari potius oportebat. quando peritissimi etiam medici confertim ingruentibus vitioso-
15 rum humorum fluxionibus non statim medicamenta applicant, sed rumorem inde ortum patiuntur foris illitis remediis ipsum vtrò concoctione quadam emolliri. Ergo nunc, postquam tempus, quo maturari solent omnia, aliquod ab ista effluxit calamitate, animique affectio tui requirere videtur amicorum auxilium: existimaui me factu-
20 rum officium, si te ad cõsolandum aptis rationibus impertirem, quibus & dolor tuus minueretur, & lugubres istę inanesq; tollerentur eiulationes:

*Oratio saucij namq; animi est remedium,
25 Si quis suo cor ægrum tempore molliat.*

Et sapienter Euripides:

*Remedia morbis diuersis diuersa sunt.
Dolentem amici sermo benignus subleuat,
30 Fatuo nimis debetur castigatio.*

30 Cùm enim animum multi affectus moueant, doloris ea est natura, vt omnium hoc grauissime faciat. quem & insanix nonnullis causam aiunt fuisse, & aliorũ insanabilũ morborum. ac fuerũt, qui præ dolore sibi ipsis mortẽ consciscerent. Iam ex morte filij dolorem egritudinemq; animi con-
35 cipere, res est talis, quæ à naturali profecta principio nõ sit in nostræ voluntatis sita libertate. Non enim eos indolentiam: quæ neque contingere nobis potest, neque vt posse fingas, commodatura nobis esset. abolitura enim erat, quæ conseruari maxime oportet, quæ ex amore vltro citroque
exli-

*Ex Aeschylus
li Prometheus
theo Sine
elo.*

*Modus in
dolo.*

existit benevolentiam. Mœrote autem vltra modum efferri, eumq; cumulare immodice, præter naturã esse affirmo, & à praua animi nostri opinione proficisci. Hoc itaque, vt damnosum & vitiosum, & virtute præditos viros minime decens, vitemus, mediocritas autem affectuum non est improbanda. Optandum est, inquit Crantor Academicus, ne ægrotemus, sed si in morbo sumus, sensus eius aliquis adesse debet, siue secetur pars nostri aliqua, siue auellatur. Indolentia enim illa non sine magna iactura homini potest parari, quippe necesse est vt ibi corpus, ita hic animum plane effectum esse. postulat itaque ratio vt qui sana sunt mente, in talibus casibus neq; nullos neq; nimios animi motus sentiant: quorum alterum est duri & feri, alterum dissoluti effeminatiq; animi. probe rationes subduxit, qui se intra suos fines continet, ac moderate ferre nouit quidquid in vita vel iucundum obtingit vel asperum. matureque ita secum constituit, sicut in populari reipublicæ statu sorte magistratus leguntur, vt si ea tetigerit te, imperandum, si præterierit, æquo animo ferenda sit fortuna: ita & rerum humanarum dispensationi esse obediẽter & absq; inculpationibus obtemperandũ. Hoc qui præstare nequeunt, ij ne secundas quidem res ferre prudenter moderateq; possunt. Est enim inter alia pulcre dicta & præcepta etiam hoc:

*Non illa res tam prospera accidat tibi,
Ducas ob hanc iusto vt maiores spiritus.
Aduersa rursus animum haud deiciant tuum,
Fac semper idem sis, sibiq; firmiter
Naturam, vt aurum in ignibus, seruans tuam.*

Recte enim instituti & cordati hominis est neq; mutari ob euentum rerum quæ videntur prosperæ, & constanti animo decorũ in aduersitatib. seruare. Et boni ratiocinatoris officium est, aut præcauere malum ingruens, aut acceptum corrigere & quàm minimum redigere, aut tolerantia sese mascula & generosa instruere. Quatuor quippe modis prudentia circa bonum versatur, aut parans id, aut conseruans, aut augens, aut recte vsurpans. hæ sunt cum prudentiæ, tum reliquarum virtutum regulæ: quibus in vtraq; est vtendum fortuna.

*Non viuit, omnia cui contingant prospera,
& me hercle*

Quod

*Quatuor
Virtutis
officia.*

Quod oportet, haud efficies & sit non opus.

Sicut enim stirpes aliquando multos, aliquando nullos fructus ferunt, & animalia copiosos aliàs, aliàs nullos procreant foetus: & in mari tranquillitatis ac tempestatum sunt vicissitudines: sic & in vita multæ ac variæ eueniunt circumstantiæ, quæ homines in diuitiosos fortunæ casus trahunt, in quos dispiciens aliquis, non inepte dixerit,

Vices rerum.

*Non te omnia ad lat a genuit,
O Agamemnon, Atreus.*

Eurip. Iphig. Aul.

10 *Opus est te gaudere, & merere:
Mortalis enim natus es. & ut haud velis,
Superi sic constituerunt.*

Et Menandri ista:

15 *Si natus estu, Trophime, solus omnium
Hac lege partu cum te mater edidit,
Ut semper eant tibi res arbitrio tuo,
Felicitatem hanc si quis promisit deum:
Irasceris iure. nam malis fide*

20 *Et improbe egisset. Sin iisdem legibus,
Quibus aerem nos ducimus, in lucem es datus
Hanc publicam: tecum ut liquido mage fabuler,
Ferenda sunt hac, & putanda rectius.
Summam rei quod continet totius, homo es:*

25 *Quo celerius non illum extollitur animal,
Citius de deiectum imo repit in solo.
Meritoq; sane cum sit enim infirmisissimus,
Grauisimis inuoluit se negocijs,
Suaq; plurima ruina perdit bona.*

30 *Iam tu neq; rebus excidisti illustribus,
Mediocre & obigit tibi infortunium.
Reliqua ergo perfer fortuna in medio situs.*

Sed tamen cum hic sit rerum humanarum status, nonnulli præ stulticia eò progrediuntur stolidæ atq; vanæ iactantiæ, ut cum aut diuitiarum magnitudo, aut magistratus sublimitas, aut in repub. sessio superiore loco, vel honores aut gloria eos aliquantulum sustulit, minentur etiam & insultent inferioribus: nō cogitantes quā instabilis sit & lubrica fortuna, & quam facile sublimia deiiciantur, humiliaq; in altum celeribus momentis mutationum fortunæ extollantur.

tus.

tur. Est verò non recte rationes rerum putantis, firmum aliquid in rebus instabilibus querere.

*Vertente enim rota, pars altera orbita
Superior, inferior altera subinde fit.*

Ad parandam porro doloris vacuitatem non est certius medicamentum ratione, indeque petita ad omnes vitæ mutationes præparatione. Sic enim cuique statuentum est, non modo mortalem se esse, sed & vitam sortitum mortalem, resque facillime in diuersam mutabiles partem. Verum nimirum hominum mortalia sunt inque diem durantia corpora, & fortunæ affectionesque; caducæ, omniaque in vita fluxa,

Quæ non possit homo quisquam evitare cauendo:

sed, quod est apud Pindarum, Orci fundum obscuri calcarum ferreis necessitatibus. Euripidis sunt hæc:

Non sunt opes stabiles, sed durant in diem. Item, 15

Vel minima nos euertunt: Sna adeo dies

Deicere summa, extollere infima possiet.

Hæc omnia recte dicta aiebat Demetrius Phalerius: id tamen rectius habiturum fuisse, si pro vna die momentum temporis dixisset. 20

Redeunt in orbem res generis mortalium,

Telluris instar fructuum atque alij exigent,

Decerpit alios & metit necessitas.

Et Pindarus alibi. Quid est esse aliquem? quid nullum? Somnium vmbra est homo. apertissima ad perspicuitatem & admodum 25 artificiosa vsus hyperbola vitam hominum depinxit. Quid enim est imbecillius vmbra? aut quibus verbis somnium eius effari possis? Hæc secutus est etiam Crantor, qui in consolatione ad Hippoclem, cui liberos mors eripuerat, in hanc scripsit sententiam. Hæc ergo sunt, quæ vniuersa illa 30 vetus philosophia docet atque præcipit. quæ si non omnia admittimus, id saltem nimis est verum, vitam nostram multis modis laboriosam esse ac difficilem. quod si non ita est natura comparatum, certe à nobis ipsis hæc ei inuecta est corruptela: & incerta ista fortuna eminus nos ac iam inde ab 35 initio comitata nihil sanum aut salutare nobis inferat. Mali quædam fatalis portio omnibus nostris rebus iam tum admiscetur cum nascimur. ipsa semina mortalia cum sint, partem huius causæ sustinent, unde prauitas ingenij, morbi, curæ, aliaque; fatalia incommoda mortales insequuntur. Cur autem

*Humana
res quales.*

tem eò orationem auertimus: scilicet vt intelligamus, nouum nõ esse si homini infortunium accidat, sed omnes no eidem casui esse obnoxios. Improuisa enim est, vt Theophrastus ait, fortuna, habetque magnã vim auferendi: quæ nobis labore parta sunt, & quæ apparet prosperitatẽ euer- tendi, neq; vlla constituta temporis vtitur ratione. Hæc & alia id genus facile est cuius & apud animum suum reputare, & dicta à priscis ac sapientibus viris audire. inter quos princeps diuinus Homerus sic cecinit:

- 10 Nil homine in terris infirmius ætheris aura
Vescitur, aut perrepat humum. nihil ille malorum
Possè sibi sperat contingere dum viger, & dum
Permittunt rebus superi gaudere secundis.
At postquam casus immittunt numina diros,
15 Inuito tolerat fatalia tum mala corde.
Humana talis stat enim sententia menti,
Qualem quotidie lucem ipse Dies puer adfert.

Et alibi:

- 20 Quid genus inquiris Tydida strenue nostrum?
Nil ortus noster foliorum distat ab ortu.
Quæ ventus modo fundit humi, modo tempore seruo
Multa renascuntur syluas passim per opacas.
Sic hominum pars orta viger, pars desinit esse.

Qua eum imagine humanæ vitæ vsum esse pulcrè, manife-
2) stum est ex iis quæ alio loco dixit:

Cur hominum causa tecum contendere coner?
Qui foliorum instar nati quandoq; frequentes
Grati vescuntur telluris frugibus: ijdem
Dispereunt, quandoq; frequentes, robore casti.

- 30 Simonides poeta lyricus, cum Pausanias rex Spartanorum
continenter sese ob res gestas iactaret, ipsumque subsan-
nans iuberet sibi aliquid sapienter præcipere: cognita ho-
minis superbia monuit, vt se hominem esse memoria tene-
ret. Philippus Macedonum rex, cum eodem tempore tres
35 lætos accepisset nuncios: vnum, quòd quadrigæ ipsius O-
lympia vicissent: alterum, quòd legatus ipsius Parmenio
pugna Dardanos superasset: tertium, quòd vxor Olympias
marem ipsi peperisset: manibus ad cælum intentis, O for-
tuna, inquit, modico isthæc compensa damno, scilicet in-
telligēs solere fortunam magnis inuidere prosperitatibus.

Odyss. 5.
128.

Iliad. 3.
145.

Iliad. 9.
463.

Theramenes, vnus de xxx Atheniensiu tyrannis, cū collap-
 pta domo in qua cum aliis cōpluribus cœnabat, solus eua-
 sisset mortem, multique eo nomine ipsum beatum prædicarent,
 magna voce sic exclamauit: O fortuna, cui nam me
 referuas occasioni: ac non multo pōst tempore excruciatu
 tormentis iussu collegarum è vita decessit. Sed singularem
 laudem videtur commeruisse Homerus, qui Achillem in-
 troductis his verbis vtentem ad Priamum, ad se redimendi
 Hecctori cadaueris gratia profectum.

Iliad. ω,
 522.

*Nunc solto Troiane sede: tristemq; dolorem
 Quantumuis mœsti fac alto corde premamus:
 Nuler enim gelidâs ploratibus efficiemus.
 Hanc misero sortem superi iniunxere, malorum
 Expertes, hominum generi, nam doliâ in ipsô
 Lamine cœlestis primo duo sunt posita aule,
 Vnde diuim generum Iupiter mortalibus effert
 Munera, in hoc bona sunt, aduersa recondita in illo:
 Cui commixta Tonans depromit dona, fructur
 Nonnunquam aduersis, rebus quandoq; secundis.
 Sed cui sola dedit de atro tristia & ase,
 Is miser est, neq; diis, hominum nec amabilis &lli,
 In terrâq; suos lugubriter exigit annos.*

10

15

20

Proximus ab hoc gloria & tempore, ac qui se Musarū pro-
 fiteretur discipulum Hesiodus, inclusa dolio mala ipse et-
 iam fingit, quo aperto Pandora omne genus malorum per
 maria ac terras disseminauerit:

I. Operum.

*Ille cadi tegmen manibus dimouit, & Vnâ
 Perniciem immissi miseris mortalibus atram.
 Conscendit sub supremis spes Vnicâ labris,
 Nec Volucris nisi Vacuas extulit in auras,
 Cùm Pandora cado prius obderet improba tegmen.
 Ast alia pestes dira, numeroq; carentes
 Per genus humanum, postquam erupere, sagantur.
 Plena malis tellus, plenum est pelagusq; malorum.
 Inuadunt homines morbi noctuq; dieq;
 Vltro obrepentes, & tristi damna ferentes,
 Idq; (etenim Iupiter priuauit voce) silentes.*

30

35

Ab his pedit Comicus, de iis qui huiusmodi casus grauius
 ferunt, in hanc scribens sententiam:

*Iam si mederentur nostris lacryma malis,
Finemq; ploratus dolori ponerent,
Auro redemptis steteremur lacrymis.
Nunc res eas, heere, nil curant mortalium,
Nil his mouentur, eadem sed pergunt stia,
Sen tu fleas, seu sicca serues lumina.
Quid ergo proficimus? nil, sed habet dolor
Hunc arboris roras, fructum nempe lacrymas.*

Dicitis quoque consolans Danaen nimio luctui indulgen-
10 tem, ita loquitur:

*Putasne Ditem luctibus flecti tuis?
Natum remissurum se tibi ob gemitus tuum?
Desine, intuensq;, aliorum in infortunia
Solare mentem, fiet hoc, si cogites
15 In vinculis quam multi homines mortem obierint,
Quam liberis orbi multi coxsenuerint,
Vel extyranni de ampla in infimum ordinem
Euerint redacti, cogitanda hac sunt tibi.*

Iubet eam considerare & minora & maiora aduersa per-
20 pefforum casus, vt animum inde ægritudine leuet. At-
que huc pertinet etiam Socratis sententia, qui censuit si
in vnum congereremus nostras aduersitates, ea conditio-
ne vt æqualem inde quisque portionem auferret, plerof-
que libenter receptis quas attulisset abituros. Hoc ge-
25 nere animum demulcendi vsus est etiam Antimachus poe-
ta. cum enim morte amisisset Lyden vxorem suam, quam
admodum caram habuerat, leniendi doloris causa ele-
giam scripsit Lyden nomine, in qua enumeratis heroi-
cis calamitatibus, alienorum malorum commemora-
30 tione suum mœrorem detereret. vt satis euidentis sit, eum
qui consolatur lugentem, ostenditque casum hunc ei
cum multis esse communem, his quæ aliis euenisse de-
monstrat commemorandis, opinionem ægri de sua cala-
mitate diminuere, fidemque ei facere, non esse tantum
3) quantum videbatur incommodum. Æschylus quoque re-
cè videtur increpare eos qui mortem malum putant, ita est malū.
pronuncians:

*Iniuria mors inuisa est mortalibus,
Summum malorum plurimorum remedium.*

Eumq; imitatus is est, cuius hæc sunt:

*O mors Veni nostris certus medicus malis,
Qui portus humanis es tempestatibus.*

Magnum enim est confidenter posse dicere:

Quis seruus est? qui mortem non meditatus est.

& hoc,

Orco adiuvante non Sمبرis ego terreor,

Quid habet tandem mors ita difficile, aut quod adeò mole-
litum esse debeat? nescio enim quid fiat, quod cum adeò
cognata nobis sit & familiaris, tamen doloris plena videat- 10
tur. Quid verò admirationis meretur res, si scissum est
quod erat natura scissile, aut liquatum quod liquabile, aut
crematum quod vstile, si perit quod erat ita natum ut in-
terire posset? Quando enim non inest in nobis mors? cum,
ut ait Heracletus, idè sit viuum ac mortuū, vigilans & dor- 15
miens, adolescens & decrepitem: quia hæc in illa, vicissimq;
mutetur. Sicut q argillā tractat, fingere ex ea animalis, for-
mam potest, rursūmq; diffingere, iterumq; ac quoties libet
perpetuò vices istas repetere: sic etiam natura ex eadē ma-
teria olim auos nostros, postea patres protulit, deinde nos, 20
ac deinceps alios ex aliis euoluet: ac fluuius ille ortus no-
stri absque intermissione labens nunquam subsistit, sicut &
interitus flumen huius contrarium, siue is Acheron est, si-
ue Cocytus à poetis appellatus. Prima ergo causa, quæ no-
bis Solis ostendit iubar, eadem ad caliginosum orcum ad- 25
ducit. Ac mihi imaginem eius rei præbere videtur aer quo
circumdamur, alternis vicibus diem ac noctem præstans,
inducensque vitam & mortem, somnum & vigiliam. Hac
de causa etiam vita dicitur fatale esse debitum, quod con-
traxerint maiores nostri, sitque à nobis persoluendum. 30
quod est faciundum æquo animo & citragemitus, vbi cre-
ditor repetet. hæc enim ratione summam modestiā præsta-
bimus. Existimo autem naturam, quod cōfusionem & bre-
uitatem vitæ haberet cognitam, voluisse nobis terminum
vitæ præstitutum esse ignotum. est enim hoc in rem no- 35
stram. Nam si prænossemus, multi perfectò immaturis lu-
ctibus contabescerent, mortemque morte anteuerterent.

*Cur termi-
nus vitæ
ignotus.* Iam hoc dispice, quot molestiis & curis vita nostra inunde-
tur: quas si enumerare institueremus, valde equidem cul-
paremus eam, & sententiam quæ apud quosdam obtinet

confirma-

confirmaremus, qua mors vita potior statuitur. Simonides
 ea de re sic est commentatus:

Hominum est exile robur,

Cura plerunq; inanes:

5 *Breue Vita tempus &rgent*

Alij ex alijs labores,

Inevitabilisq;

Mortis crudele fatum,

Sorte aqua destinatum

10 *Iuxta bonis, malisq;*

Pindarus autem sic:

Semper vni sunt duo

Bono mala à diis annexa summis,

Ferre quæ stulti probè nequeunt.

Pyth.oda

3.

15 Sophocles verò:

Mortalis est quod abolutus, hoc tu gemis.

Ignarus an futura quid lucri adferant?

Euripides autem;

Natura qua sit rebus humanis tenes?

Alceste. de.

20 *Non certe opinor. Unde enim? sic accipe:*

Mortalibus mors imminet certa omnibus,

Nec nullus est eorum qui certò sciat

Victurus an sit lucem porrò crastinam:

Nam quò sit eius a fortuna, haud liquet.

25 Cùm ergo talis sit vita hominum, qualem isti tradunt, cur

non eorum potius laudemus fortunas, qui eius obeundis

muneribus liberati sunt, quàm miseremur ac deploremus

eos, ut quorundam fert in scitia? Socrates mortem per simi-

lem aiebat esse vel profundissimo somno, vel peregrinatio-

30 ni longinquæ ac diurnæ, vel utiq; abolitioni animi iux-

tà & corporis. quæ singula deinde examinans, mortem ha-

rum rationū nulla malam fieri ostendit. Primum si somnus

quidam est mors, dormientibus autem malè non est, con-

stat ne cum mortuis quidem malè agi. Quid autem attinet

*Mors so-
mni simili-*

35 disserere, somnū cum esse suavissimum; qui est altissimus?

cum omnibus hoc sit notum hominibus. Testatur hoc et-

iam Homerus:

Dulcis & alta quies, placidaq; simillima morti. & *Odyf. v. 80.*

Hic fratrem lethi convenit sedula somnum. & *Iliad. 5.*

Mortemq; & somnum geminos.---

231.

quasi oculis ingerens eorum similitudinem, quod gemelli maxime expriment. Alibi etiam mortem somnum vocat ferreum, conans docere nos, in morte nullum esse sensum. Neque incite pronunciauit hac de re, quicumque versiculi autor est:

Num parua mortis somnus est mysteria.

somno enim verè initiatur morti. Sapienter etiam Cynicus ille Diogenes, cum ante exitum vitæ obruisset ipsum somnus, medicusque excitasset, & an grauius aliquid accidisset quæreret: respondit, nihil esse mali: fratrem enim fra-

Mors peregrinationi similis.

Phadone.

tri anteuertere, somnum morti. Quod si peregrinationi similis est mors, ne hac quidem ratione malum est, imò autem bonū potius. Beatum enim est liberari à seruitute carnis, & affectionibus eam comitantibus, quæ mentem occupant, ac stulticia humana implent. Innumeras (inquit Plato) nobis facessit molestias corpus ob victus sui necessitatem. quod si præterea morbi aliqui incidunt, ij impediunt veri contemplationem. ad hæc amoribus, cupiditatibus, timoribus, omnisq; generis simulacris & vanitate nos opplet. vt reuera eueniat, quod ille dixit, nos nihil vnquã sapere posse. Bella enim, seditiones, & pugnas nulla alia res excitat quàm corpus & eius cupiditates. ob parandas enim opes omnia sunt bella: opes autem cogimur parare propter corpus cui seruiamus curando, qua re occupati philosophiæ vacare non possumus. idq; extremū est, quod etiam nactos aliquid ocii, & ad considerandam veritatem conuersos vbique corpus interpellat, turbasque dat & percellit, obstatq; quo minus veritatem cernamus. Itaque reuera demonstrat Plato, quod si aliquando volumus purè aliquid cognoscere, corpus exuendum sit ipsoq; per se animo res intuendæ. ita demū consequemur quam expetimus, & cuius amatores nos esse profitemur sapientiam. eam autem ratio docet non viuentibus, sed mortuis nobis ad futuram. Si enim fieri non potest vt corpore præditi quicquam sincerè cognoscamus, alterum horum sit necesse est, vt aut nunquam, aut mortui scientiæ fiamus compotes. tūc enim ipse secū erit animus à corpore separatus, non antè ac dum viuimus, quàm fieri potest proximè ad scientiam accedemus, si nihil cum corpore rei habeamus quatenus omnino licet, neq; cum eo quicquam nisi summa yrgēte necessitate commu-

communicemus, neque contagio eius naturæ nos oppleamus, sed ab ea puros nos cōseruemus, donec ipse nos Deus eo exfoluet. tum demum puri & stulticiā corporea exonerati cum diis erimus, omnia nobis ipsis sincera cernentes, scilicet ipsam veritatem. Nefas enim est purum ab impuro contingi. Quare etiam si ad alium locū mors nos traducat, malum non est, adeoq; bonum potius, sicut Plato demonstravit. Itaq; diuinitus omnino dicta mihi hæc videntur à Socrate ad iudices: Mortem metuere, aliud nihil est, quàm falsò putare se sapere. Qui enim mortem metuit, videtur sibi scire quod ignorat. scit enim nemo, an mors sit omnium quæ homini contingere possunt bonorum maximum: metunt autem eam, quasi certò sciant esse summum malum. Nihil ab his discrepare videtur qui dixit hæc,

In apologia.

15 *Nemo metuat mortem, laborum terminum.*

illa verò malis etiam maximis nos soluit. His testimonium fere dicuntur etiam dii. Multos enim accepimus pietatis ergò id muneri à diis cōsecutos: quorum reliquis ob modum commentarii præteritis, eos duntaxat commemorabo, qui sunt maximè illustres, & in ore omnium versantur.

Deorū iudicia de morte.

20 Primòque tibi loco referam, quid Bitoni & Cleobis vsu venerit, adolescentibus Argiuis. Hos ferunt, cum mater ipsorum sacerdos esset Iunonis, ac instante momento temporis quo ascendere ad fanum debebat, mulique vehiculum trahere soliti tardius venirent, subiuisse ipsos vehiculum, matremq; ad templum peruxisse. eam verò maiorem in modum delectaram filiorum pietate, à dea flagitasse hoc illis vt largiretur, quod esset hominibus optimum ibi eos in somnum solutos nunquam euigilasse, dea pietatem ipsorum morte vt præmio compensante. Porro de Agamede & Trophonio Pindarus scribit, eos cum templū Delphis ædificassent, ab Apolline mercedem postulasse: responsumque fuisse, fore vt eā septima die reciperēt, iussosq; interea genio indulgere. obtemperasse eos, septimaq; nocte sopitos, vitæ extremum diem cum habuisse. Ferūt autē ipsum Pindarum, cum mādasset his, qui ad oraculū sciscitandū communi Bœotoiū nomine missi erant, vt interrogarent quidnam optimum esset homini, hoc ab antistita responsi tulisse, Ne ipsum quidem id ignorare, si quidem autor esset scriptorum, de Trophonio & Agamede. si tamen experiri

velit, non multo post tempore rem ipsi fore perspicuam. itaque Pindarum his auditis, ad mortem se comparasse, & paulo post viuendi finem fecisse. Iam de Euthynoo Italo talis historia fertur. Mortuum esse eum subito, nulla causa cognita calamitatis. Ibi tum Elyfio patri (qui hanc vnicam s prolem habuisset diuitiarum & opum amplissimarum hæredem, vir inter populares suos Terinæos virtute, fortunis, gloriaque primus) incidisse suspicionem hanc, fortassis veneno necatum esse filium. quod cum quomodo exploraret certo non videret, venisse in Psychomanteum, facrisque, vt erat in legibus, operatum, indormiuisse loco. Tum sibi per quietem tale fuisse visum oblatum. Venire ad se patrem suum, & abs se fuisse narrato filii casu magnopere oratum, vt in causa mortis inuenienda se adiuuaret. respondisse patrem: Equidem in hoc adsum. sed ab isthoc 15 accipe quæ tibi adfert: inde enim omnia cognosces, propter quæ mœres. quem verò pater indicabat, planè Euthynoi fuisse statura & annis, vt apparebat, similè: interrogatumque quis esset, retulisse hæc: Genius sum filii tui. simulque porrexisse codicillos, quibus euolutis Elyfius tres hos ver- 20 sus inuenerit intus exaratos.

*Ex M. Tul-
lio, sine 1.
Tuscul.
Mors si in-
teritus, nõ
malum.*

*Ignaris homines in vita mentibus errant.
Euthynous potitur fatorum munere lato,
Sic fuit Stilius finiri ipsiq; tibiq;.*

Tales sunt narrationes hac de re ab antiquis perscriptæ. 25 Denique si mors perfectus est interitus & dissipatio corporis animique (ea enim tertia pars fuit Socraticæ comparationis) ne sic quidem mors in malis numerari poterit. omnium namque sensuum priuationem gigneret, omniq; nos dolore & solitudine liberaret: & vt nullum bonum, 30 ita ne malū quidē vllū porrò nobis adesset. vt enim bonū, ita etiam eodem pacto malum necesse est rei alicui quæ sit & subsistat inhærere. quod nihil est, & è rerum natura sublatum, ei neutrum horū adest. Ergo mortui ad eam redeunt conditionem, qua ante ortum suum fuerunt. vt sicut non. 35 dum natis nobis neq; bene fuit neque malè, ita neque post mortem sit futurum. ac quomodo ad nos nihil atinebant quæ ortum præcesserunt nostrum: ita etiam quæ finè subsequuntur nostrum, nihil nostra referent.

Etenim

*Etenim dolor venera haud tangit mortuos. quia
Idem puto esse prorsus non nasci, & mori.*

Eadē enim est conditio post mortem, quæ fuit ante ortum. Nisi fortasse statuis differentiam aliquam inter non esse ortum, & desinere esse. quo autem id pacto, nisi aliam putas rationem esse domus aut vestis nobis vita defunctis, quam fuit eo tempore, quo nondum erant ista parata. quod si in his discrimen nullum sit, satis est manifestum nullam etiam esse status ante ortum à statu post obitum diuersitatem. E-
10 legans est Arcefilai dictum, Mors quæ mali nomine cense-
tur hoc vnum habet peculiare ex omnibus quæ mala iudi-
cantur, quod præsens neminem vnquam affecit molestia, absens & dum in expectatione est, molestiam adfert. Re vera enim multi ob vilitatem animi, & conceptas aduersus
15 mortem calumnias moriuntur ne moriantur. Præclarè igitur Epicharmus, concretum, inquit, fuit & discretum est, redijtq; vnde venerat, terra deorsum, spiritus sursum. Quid ex his omnibus iniquum est? nihil. Quod autem Euripi-
deus Cresphontes de Hercule dicit:

20 *Apud inferos qui si sub terra nunc agit,
In his nihil qui iam sunt, ipse nihil valet.*
mutatis verbis sic efferas licet:

*Apud inferos qui si sub terra nunc agit,
In his nihil qui iam sunt, nil feret mali.*

25 Generosum est etiam Laconicum hoc:

*Nunc nos, antè aliq; viuere, aliq; viuebunt,
Quorum nos auum cernere fata vetant.*

Et rursus:

His neque defungi visum est, neq; viuere pulcrum:

30 *Cura fuit rectè viuere, sicq; mori.*

Admodum autem rectè Euripides de his qui diuturnas æ-
grotationes tolerant, pronunciat:

Odi suam qui vitam extendere expetunt

Cibusq; potibusq; & magicis artibus

35 *Fati cursum auerentes, & mortis viam:*

Quos, cum nihil terra prosint, oportuit

Abire morte, & inuenibus locum dare.

At Merope virilibus dictis spectantium in theatro animos commouet, hæc dicens:

Periere nati, non mihi mort alium

Soli: nec sola marito sum viduata ego:

Tulere casdem calamitates plurimæ.

quibus non absurdè hæc subiungas:

Vbi enim nunc incluta illa? Vbi iste Lydia

Potens tyrannus Cræsus? aut Xerxes grauem

Qui ponte iunxit ceruicem Hellepontiam?

Omnes ad orbem, obliuionis & domos

luere, ---- opibus vna cum corporibus scilicet abo-

litis. Enimuerò immatura mors luctum nonnullis eiulatuf-

que exprimit. Verùm & hæc aded expeditam habet consola-

tionis viam vt etiam de vulgo poetarum quisq; eam obser-

uauerit atq; indicauerit. Considera enim quam orationem

quidam Comicus tribuit consolanti aliquem qui immatu-

ram mortem lugebat:

Si conspiciisset hæc de re cerio tibi,

Reliquum quod ille vita cursum prosperè

Fuisset exacturus, mortem dicere

Intempestiuam tibi liceret. sin erat

Græuis aliqua cœcatura calamitas ei,

Mors meliùs illi, quàm tu, consuluit quidem.

Ergo incertum cum sit vtiliterne è vita discesserit, maiori-

busq; ita sit miserijs liberatus, necne, non ita grauius mors

eius ferenda est, quasi omnibus amissis, quæ a viuente cõse-

cuturos nos esse opinabamur. Et apud poetam Amphiaræus

non inepidè videtur consolari matrem Archemori, agram

animo ob filij infantis mortem admodum intempestiuam:

Mortalis nemo est, quem non attingat dolor,

Morbisq; multi sunt humandi liberi,

Rursum creandi: morsq; est finis omnibus,

Quæ generi humano angorem necquicquam adferunt.

Reddenda est terra terra, tum vita omnibus

Metenda vt fruges. sic iubet necessitas,

Vt ille vniat, ille non nihil hæc opus est

Lugere, natura quæ sumi legibus.

Græue est nihil, homini quod fert necessitas.

In vniuersum autem quisque & secum cogitare, & cum alijs

seridè commentari debet, non vitam longissimam esse opti-

mam, sed quæ virtute maximè administratur. neq; enim qui

plurimum fidibus cecinit, aut orauit, aut naues gubernauit,

in laude est, sed qui optimè ista fecit. nam pulchritudo

non

De immatura morte.

Ex Cic. 3. Tusco.

Vita longuendo.

non in temporis longitudine, sed in virtute & tempestiua
moderatione collocanda est: hoc beatum & dijs gratū cen-
setur. Atque hanc ob causam excellentissimos heroum & à
dijs prognatos poetæ nobis proponunt, qui ante senectū-
5 tem vitam cum morte commutent. quando ille etiam

Quem summo Diuim genitor complexus amore

Dilexit, Phæbo neq; carior exstuit alter,

Non potuit senij supremum lumen adire.

Odyss. o.

245.

- Videmus enim quauis in re priores partes tribui non ætati
10 longæ, sed maturitati. nam & inter plantas eæ habentur præ-
stantissimæ, quæ plurimum fructus minimo tempore ferunt:
& inter animalia, ex quibus nõ longo temporis spacio plu-
rimum utilitatis vita nostra percipit. Præterea si cum æter-
nitate compares vitæ tempus, nihil inter breue & longum
15 inuenies discriminis. nam de Simoniadis quidem sententia
anni 610. aut 6000. punctum quoddam sunt infiniti, aut
minima potius puncti portio. Iuxta Pontum animalia que-
dam memoriæ traditum est nasci, quorum vita vnus diei
termino includatur, cum manè nascantur, meridie vigeant,
20 vesperi consenescant viuendique finem faciant. censene,
si his animus hominis & ratio inesset, eodem quo nos mo-
re affecta fore, eademve illis euentura? scilicet vt quæ ante
meridiem morerentur, luctus & lachrymarum causam præ-
berent? quorum autem totū diem durasset vita, beata præ-
25 dicarentur? Mensura enim vitæ est non longitudo tempo-
ris, sed honestum. Has verò exclamationes, Non oportuit
adolescens adhuc ætate abripi, inanes esse & à magna
proficisci fatuitate censendum est. Quis enim diceret oportu-
uisse? sed & alia facta sunt, fiunt, sientque postmodò mul-
30 ta, quæ dicere aliquis possit non debuisse fieri. Non enim
ea lege in hanc vitam venimus, vt ei leges ipsi præscriba-
mus: sed vt ijs obtemperemus, quæ decreta sunt ab vniuersi
gubernatoribus dijs, & constituta à fato ac providentia. *Fatum to-
Quid, qui ita immature mortuos lugent, suauè id tandem, lerandum.*
- 35 an verò mortuorum causa faciunt? si enim sua id causa fa-
ciunt, quòd adempta ipsis est voluptas, aut vitæ itas quam ex
ipsis capiebant, aut quòd in senectute sua se ab illis aditū iri
frustra sperauerant, certè sui ipsorum amori doloris præ-
scriptionem adhibent: liquebitque nõ defunctorum eos de-
siderio, sed suarum commoditatum teneri. sin mortuorum
causa

causa lugent, excutient facillè mœrorem, si cogitare apud se
 velint nullo eos in malo esse: veteriq; & sapienti adsentien-
 tur sententiæ, quæ præcipit vt bona quam maximè amplifi-
 cemus, mala autem summo opere extenuemus. Ergo si in bo-
 nis numerandus est luctus. quàm copiosissimum eum fa-
 ciamus & maximum: si, quod veritas rei dicitur, malis eum
 annumeramus, comprimamus eum pro virili & diminua-
 mus atque deleamus. Quod quàm sit facile, exemplo con-
 solationis proposito illustre efficiam. Accepimus quendam
 philosophorum præcorum ad Arsinoam reginam, quæ tum
 filij lamentabatur mortem, accessisse, & huiusmodi vsu
 sermone. Quo tempore Iupiter honores inter dæmones di-
 stribuit, fortè tum Luctum abfuisse, ac omnibus iam diuisis
 superuenisse. eumq; sibi quoque tribui aliquid honoris po-
 stulari, Iouem omnibus iam in alios infumtis honoribus,
 Luctui largitum esse dolorem & lacrymas quæ mortuis im-
 penduntur. Tum sic intulisse: Sicut ergo alij dæmones eos
 diligunt à quibus coluntur: ita ad te quoque, regina, Lu-
 ctus non accedet, si nullo honore ipsum afficias. quod si ijs
 eum honoribus, qui ipsi sunt attributi, studiosè venereris
 (lacrymis inquam & lamentis) diligit te, semperq; aliquam
 tibi suppeditabit materiam, ob quam abs te continenter
 honoretur. Atque hac oratione ille vsus mirabili arte femi-
 nam eam à luctu & lamentatione deduxit. Denique vt in
 summa dicam, quæere liceat ex lugente, statueritne finem
 aliquando ægritudini imponere, an verò existimet eam sibi
 per omnem vitam esse continuandam. Hoc enim (dicerem)
 si decreuisti, omnibus absolutam numeris miseriam acer-
 bissimamq; infelicitatem tibi ipsi ob animi tui ignauiam
 atque molliciem imponis. sin est vt aliquando finem facere
 luctui statueris, cur non iam nunc mutas, teque ipsum mi-
 seria exsoluis? quibus enim rationibus ad liberandum te
 decurso aliquo tempore vteris, ijs ipsis in præsentia animū
 aduerte exoneraque te molestia. quando etiam in corporis
 affectionibus quæ ratio maturimè malum tollit, optima
 ducitur. itaque quod eras tempori tributurus, id rationi ac
 doctrinæ deferens exime te ipsum malo. At inquit, præter
 spem mihi hic casus & expectationem euenit. Enimverò
 oportebat expectare, præmeditatū animo incertitudinem
 vilitatemq; rerum humanarum: ne nunc imparatus veluti
 ab ho-

*Luctus
 sit dimi-
 nuendus.*

*Insuperati
 casus.*

ab hostibus repente ingruentibus opprimereris. Præclare enim Theseus ille Euripideus videtur ad id genus euenta fuisse præparatus, sic loquens:

Nam qui hac audita à docto meminisssem Siro,

Futuras mecum commentabar miseras,

Aut mortem acerbam, aut exsulij mestam fugam,

Aui semper aliquam molem medstabar mali:

Vt si qua inuicta diritas casu foret,

Ne me imparatum cura laceraret repens.

Ex Tullio

3. Tusc.

- 10 Sed degeneri qui sunt ingenio & exercitatione nulla vñ, nunquam eo conuertunt animum, vt vlla de vtili ac decora re cogitent: ad extremas tantum exorbitant miseras, innoxium corpus adflittantes, & quæ ægrota non sunt, secundum Achæum, vnà dolere cogentes. Ideo admodum rectè
- 15 videtur præcipere Plato, vt in huiusmodi casibus quiescamus: cum neque constat bonumne an malum acciderit, neque proficias quicquam ægrè ferendo. dimoueri enim dolore consultando, de eo quod factum est. itaque iubet vt in talorum iactu quidquid casus tulerit, id eo ponere, vbi
- 20 maximè videbitur esse commodum. non debere ergo nos sicubi offendimus, pueros imitari qui manibus lætæ parti iniectis vociferantur: sed aduocare animos nostros, vt quam primùm euolationem medica arte abolentes, sananda restituendæque parti affectæ operam demus. Eum qui *Lex de lu-*
- 25 Lycijs leges posuit, aiunt mandasse ciuibus, vt in luctu veste vterentur muliebri: significare volentem rem eam muliebrem esse: neq; conuenire viris moderatis & liberali doctinæ deditis. est enim re vera muliebri, imbecillique & degeneris animi luctus: & vt ad eum mulieres viris, ita bar-
- 30 bari Græcis, ac deteriores præstantioribus sunt propensiores. ac de ipsis barbaris si qui luctum exercent, non animosissimi hoc Celtæ, nō Galli, aut qui alij generoso pleni sunt spiritu id faciunt, sed Ægyptij, Syri, Lydi, alijq; horum similes. Horum quosdam ferunt in foueas certas sese per dies *Barbaro-*
- 35 complures abdere, neque solis lumen videre sustinere, quo *rū luctus.* is quem lugent priuatus sit. & Ion tragœdiæ scriptor vt qui aliquid de stulticia hac inaudiuisset, quandam introducto sic loquentem:

Nurix ego Vestra, Eꝯ Vestra prolis exij,
Scrobibus relictis ad luctum quas feceram.

quidam

quidam verò barbarorum etiam corpora sua naribus, auri-
 bus, alijsve partibus amputandis fœdant, gratificari se ali-
 quid defunctis putantes, cum in hoc genere a natura con-
 stitutam mediocritatem excedant. Sunt porò, qui nobis
 sic occurrunt, non quamuis mortem lugendam dicentes, 5
 sed immaturè sublatoꝝ: quod hi nullo eorum potius
 sint, quæ vitæ nostræ bona putantur: nuptias intellige, do-
 ctinam, perfectionem, honores in republica, magistratus.
 hæc enim potissimum dolorem afferre ijs, quibus morte a-
 licuius immatura calamitas accidit, cū se spe sua ante tem- 10
 pus excidisse sentiant. Hi verò ignorant, præproperam mor-
 tem, quod ad naturam rerum attinet, nihil ab alijs differre.
 Sicut enim proposita in communem patriam profectioe
 omnibus necessariò & citra reculandi licentiam incumben- 15
 te, alijs præcedentibus alijs sequentibus omnes tandem
 eodem cõuentunt: ita etiam nobis ad fatale perfoluendum
 debitum tendentibus, nihilo plus obtrahit his qui seriùs,
 quam qui citiùs eò perueniunt. Quod si qua mors intem-
 pestiua dici debet, maximè id nomen competet in puero-
 rum aut in fantium, magisque etiam recens natorum obi- 20
 tum, quem tamen facile & bono animo ferimus: inique
 & lugubriter iam ætate aliquo prouectorum: ob vanas spes
 quas nobis finxeramus, putantes ijs, qui eo ætatis peruenis-
 sent, certam iam esse ac permanfuram incolumitatem. Por-
 rò si ætas hominis spacio xx. annorum determinaretur, na- 25
 tum annos xv. putaremus iam non immatura morte dece-
 dere, sed ad iustæ ætatis mensuram progressum: qui autem
 vigesimum annum aut impleuisset, aut ad eum terminum
 proximè accessisset, omnino eius fortunam laudaremus, vt
 vita felicissima ac perfectissima functi. Sin c. c. annis defini- 30
 remus curriculum, vtique deploraremus eum qui annos na-
 tus centum exspirasset, planè immaturam eius mortem iu-
 dicantes. Liquet ergo cum ob hæc, tum ea quæ superiùs dif-
 feruimus, eam quoque mortem, quæ intempestiua dicitur,
 consolationem admittere. Verissimum enim vtique est, mi- 35
 nus lachrymasse Troilum, quam Priamus erat ploraturus,
 si mortuus fuisset florente etiamnum regno & opibus, quas
 amissas desleuit. Vide enim qualia sunt quæ ad filium suum
 Hectorem dicit, hortans eum vt se à prælio aduersus Achil-
 lem subducatur:

*De morte
 immaturæ.*

Intra

Entra nunc & bis, mi fili, moenia serues
 Troadas & t, Troesq; nec eximum decus addas
 Pelide, suavis spoliatus munere vite.
 Prætere a miserare tuum, dum & iuo parentem
 Me miserum, in senij lupiter quem limine durus
 Aduerso perimet fato, mala plurima pussum.
 Occidi postquam natos, natusq; Sidere
 Raptari, excindi thalamos, dnræq; misellos
 Alidi infantes terra me cernere adegit
 10 Excidio in patria diro, mea deniq; membra
 Postremi, cum quis iactus, vel comminus ictu
 Infelici anima gelidos exsoluerit artus,
 In primis foribus raptabit sena canum & is.
 Id verò nimis est hominis miserabile & istu,
 15 Cum canum caput, & canum mentum atq; pudenda
 Occisi fœdare canes senis aspiciendum est.
 Sic ait euellens manibus de vertice canos
 Longævus mentem sermo tamen Hectoris iste
 Non flexit. -----

- 20 Cùm itaq; habeas exempla permulta huius rei, intelligere
 debes morte non paucos à magnis fuisse ac difficilibus ter-
 tuatos calamitatibus, in quas omnino deveniendum ipsi
 fuerat, si vixissent. quæ ego exempla, ne nimium extendatur
 oratio, contentus his quæ retuli omitto: sufficientibus
 25 demonstrare, non debere nos ultra quàm natura & mediocri-
 tas ferūt, ad inanes luctus & degeneres eiulatus exorbitare.
 Crantor ait, vacare culpa in calamitatibus maximū esse so-
 latium. Ego ad liberandos dolore animos habere id vim vel
 maximā dicere non vereor. Ad hæc, amare & bene velle ei,
 30 qui mortuus est, non in hoc positum est ut tibi ipsi dolorem
 inferas, sed ut dilecto aliqua cōmodes ratione. quod præsti-
 teris, si eum bona memoria honoraueris. Nemo enim bo-
 nus lamentis, sed hymnis dignus est & laudationibus: non
 luctu, sed honorifica recordatione: neque lacrymis à dolo-
 35 re extortis, sed primitijs quibusdam scitis. siquidem is qui
 inter mortales esse desijt, diuiniore cuiusdam vitæ factus
 est consors, liberatus seruitute corporis, & ærumnis istis
 sollicitudinibus atque casibus, quos necesse est ut perferant
 quibus mortalis hæc vita obtingit, donec conficiant fato de-
 finatum ipsis vitæ curriculum. quam quidem vitam nobis
 natura

Vera in
 mortuos
 beneuo-
 lenta.

Luctus finis.

natura non vt perpetuam possessionem concessit, sed profati legibus vniciue certa ratione attribuit. Qui ergo sana sunt mente, non debent amplius quam natura & mediocritas postulant, animo in luctus inutiles & barbaricos efferi, idque expectare, quod multis euenit, vt prius ærumnosa vitæ suæ finem, quam lugendi faciant, inque lugubri (quem propter alios ceperunt) habitu, infelici sepulture ipsi mandentur: eaque obruantur simul & mœrores isti, & mala quæ sua sibi parauerunt imprudentia. de quibus Hæmericum illud commodè vsurpari possit: 10

Hos lamentantes atra nox obruit Umbra.

Proinde in tali re sæpe nos ipsos ita compellemus: quid igitur faciemus? an per omne vitæ tempus miseriam continenti tempus prorogabimus? an potiùs lugendi aliquando finem faciemus. Nam infinitum velle luctum facere, extrema est insaniam. cum videamus qui in summo grauissimoque fuerunt mœrore, sapissimè fuisse temporis progressu adeo demitigatos, vt apud monumenta, quæ sine acerbo eiulatu & pectoris planctu antè non visebant, iam conuiuia musicis aliisque ad læticiam excitandam facientibus rebus adhibitis celebrarent. Insani ergo est, secum statuere velle se in luctu perseverare. Si verò decreueris aliquando cum desinere, simul & hoc reputato, tempus esse quod leniturum sit ægritudinem. Etenim quod factum est, infectum reddere ne deus quidem potest. ergo quod nobis nunc præter spem opinionemque euenit nostram, id ipso facto nobis demonstrauit quid plerisque accidere soleat. Quid ergo? an nulla nos discere doctrina, neque ratiocinari possumus, quod 25

Terra malis scatet, aduersis pelagusque redundat.

item illud: 30

Tales circum mortales miseria

Fundunt, totque fatalia mala,

Quibus nec in lucem hanc sciat exitus.

Multi quippe, vt ait Crantor, ijque sapientes viri non nunc primum, sed pridem deplorauerunt res humanas, supplicium iudicantes vitam hanc esse, & summæ calamitatis locoducentes, nasci hominem. Hoc ipsum Aristoteles ait Silenum, cum captiuus ad Midam adduceretur pronunciasse. cuius hæc sunt (præstat enim opinor ipsa apponere) in Eudemo siue libro de animo verba. Itaque, inquit, præstatissimè omnium

*Sileni de
Vita humana
discium.*

omnium & beatissime, cum felices censem esse & beatos qui vita hac defuncti sunt, tum nefas putamus quicquam de ijs falso aut cōtumeliose dicere: quippe qui melioris iam præstantiorisque naturæ facti sint compotes. Atque hæc nostra sententia ita vetusta est, vt eius & initium & autor profus ignorentur, sed ab infinita vsq; æternitate cōtinenter ea sic est propagata. Ad hæc, vides in ore hominibus esse omnibus iam inde a multis annis tritum illud. Quòdnam? inquit ille. Quod (ait) omnium optimum est non nasci: præstat autem mori quam viuere: eiusq; rei multis sunt diuinitus perhibita testimonia. Atq; hæc pertinet quod narratur Silenū à Mida isto captum, & a venatione ei seiscitāti quidnam optimum homini, maximeq; expetendum esset, principio responderi noluisse, vocemque compressisse, tandem cum vrgendi vt aliquid diceret finem nullū Mida faceret, in hæc inuitū erupisse verba. Ærum nosi genij, & difficilis fortunę semē in diem durans, quorsum me cogitis ea vobis dicere, quæ vobis nescire erat melius. maxime enim vacantes dolore viuunt, qui sua ignorant mala. Hominibus autem optimum est non nasci, neq; participem fieri præstantioris naturæ. optimum enim omnibus vtriusque sexus hominibus hoc est. proximum huic, & inter ea quæ consequi homo possit primum est, quàm celerrimè mori. Manifestum verò est, sic eum pronunciaffe, quòd melior sit mortuorum quàm viuorum conditio. Sexcenta alia, rursusque totidem alia similia adferre ad huius capituli demonstrationem possem: sed opus non est protrahere orationem. Proinde lugendi nō sunt qui in florente ætate mortem obeunt, quasi spoliati ijs, quæ in diuturna vita pro bonis censeantur. incertum est enim, vt aliquoties iam diximus, bonisne an malis priuati sint, cum multo plura sint mala quàm bona: quorum hæc difficulter, & multis impensis curis consequimur, illa vel facillimè obtingunt. ferunt enim mala esse teretia ac continua inter se, inuicemque sese multis de causis insequentia: bona verò deiuncta, & quæ difficulter sub ipsum vitæ terminum cogant. Itaq; videmur oblici esse nostræ fortis. Non enim tantum, vt est apud Euripidem,

Non propria sunt, quas homines tenent, opes:
sed in vniuersum nihil homo possidet proprium. ac de singulis vsurpare hoc licet,

*Homini
nihil proprium.*

Res

*Res procuramus à Dijs nobis creditas,
Arbitrio repossunt illi quas suo.*

Quapropter iniquius ferre non debemus, si repetunt quorum nobis exigui temporis vsuram concesserant. quando de mensarij quidem, nisi animum prauum gerât, indignantur vbi apud eos deposita fors repossitur. & non promptè reddenti dicere possis haud iniuria, Oblitusne es ea te hac conditione accepisse, vt redderes? Idem verò omnibus vsu venit hominibus. Vita nobis contingit, dijs eam apud nos fatali deponentibus necessitudine, neq; certus est definitus terminus ad quem reddendum illud sit depositum: sicut ne mensarij quidem scire possunt, quando repossenda sit apud eos deposita fors. Qui ergo vel ipse moriturus, vel liberis morientibus nimis indignatur, nonne perspicuum est eum oblitum esse mortalem se natum fuisse, & mortales genuisse se liberos? neq; enim sani est hominis, ignorare hominem animal esse mortale, & ad hoc natum vt moriatur. Itaq; si, vt in fabulis est, Niobe hanc sententiam in promptu habuisset, quòd

Non semper flore liberum

Vitaq; cursu prospero

Onusta suauis solis intuens iubar,

moritura esset: nunquam profectò eò indignationis prolapsa fuisset, vt & vitâ cuperet abijcere ob calamitatis molem, & deos precaretur vt se ad quamuis grauissimam perniciem abijperent. Duæ sunt Delphis inscriptæ sententiæ, maximè ad vitæ humanæ vsum necessariæ, Nosce teipsum, & Ne quid nimis. Ex his dependent reliqua omnia: ipsa autem inter se concinunt, alterumq; alterius videtur vim declarare, alterumq; vicissim in altero inest. Itaque non sic de his cecinit:

Breuis est, Teipsum fac nôris, sententia:

Præstare solus rem sed nouit Iuppiter.

& Pindarus:

Sapientes hanc vocem, Ne quid nimis,

Assatum collaudauerunt.

Hæc ergo aliquis animo infixâ tenens tanquã Apollinis Pythij oracula, facilè se ad omnes quas fert vita res accommodare poterit, easq; dextrè ferre, cû in suam intuens naturâ, tum operâ dans vt ne amplius quàm conuenit vel arrogâcia effera.

*Sui cogni-
tio, & Mo-
dis.*

efferatur ob fortunę euenta, vel animam abijciat, inque luctus & eiulatus, ob fortunę vel animi potius imbecillitatē, nobisq; in situm mortis mētum, profectum ab ignorantione eorum quę nobis in vita necessitatis fativē decreto contingere solent. Egregium est Pythagoreorum præceptum:

*Iniungent diuina tibi quos fata dolores,
Hos, ut et eueniant, animo fer leniter a quo.*

• & tragicus Æschylus:

Virtute predictorum est, & sapientium,

10 *Non succensere in rebus aduersis deo.*

& Euripides:

*Necessitati qui cedit mortaliū,
Sapiens apud nos, & diuorum gnarus est.*

atque alibi:

15 *Euenta quisquis rectē fert mortaliū,
Mibi modestus is videtur, & optimus.*

At plerique omnia vituperant, & quidquid eis præter spem euenit, existimant malignitate fortunę ac geniorum accidere: itaq; ad omnes casus eiulant & in gemitu, ac de suę

20 quæruntur aduersitate fortunę. quibus hoc dicto occurrere non ineptē liceat,

Non tibi deus nocet, sed ipse tu tibi

officis, & tua malē instituti vācordia. Hęc scilicet falsa & fallax opinio facit, vt quoduis mortis genus incusent. Mo-

25 ritur aliquis in peregrinatione: cum gemitu hęc adferunt:

*Ab miser, haud illi genitor, Venerandaq; mater
Compressere oculos.-----*

Moritur in patria, & apud parentes: lamentantur quodē *Iliad. λ.*

30 ritur silens, neq; vlla de re mandauit quicquam: inter plorandum proferunt hoc: *452. alibi.*

randum proferunt hoc:

----- neq; te suprema voce monentem

Audius, semper qua condita mente tenerem.

Iliad ω.

770.

Si collocutus ante excessum fuit, extremam eam vocem
35 veluti alimentum dolotis semper habent in promptu. Tollitur cita morte: deplorantes dicunt eum esse abreptum. tollitur lenta morte: quiritantur excarnificatum contabuisse. denique nunquam deest præscriptio luctus & lamentationes excitandi. Hęc poëtæ introdaxerunt, primusq; ad eū Homerus, ita canens:

Iliad. J.

222.

*Ut genitor nati lamentans concremat ossa
Sponsi, qui infando miseros marore parentes
Affecit.----- atque hæc quidem an rectè deplorentur,
nondum liquet. Vide autem quid adijciat,*

Iliad. i.

478.

*Vnicus in senio natus, magnasq; parentum
Possessorus opes.---*

Quis autem nouit, an Deus paterna quadam providentia & procuratione humani generis, cernens quæ euentura essent, nonnullos immatura morte tollat? vt nihil ijs accidisse sentiendum sit, quod fuerit abominandum, 10

Graue est nihil enim, homini quod fert necessitas:

siue aded id precedente ratiocinatione contingat, siue consequatur. multiq; matura morte calamitatibus grauioribus subtracti sunt. & vtile fuit quibusdam, vt ne nascerentur quidem: alijs vt nati illied extinguerentur: alijs vt aliquantisper 15
per viuerent, alijs vt in vigore ætatis moterentur. Hæc ergo omnia mortis genera boni sunt consulenda, cum sciamus fatum esse inuitabile. estque hominis probe instituti præmeditatum, esse quod qui videntur ante tempus naturæ debitum persoluisse, exiguo nos tempore præcesserunt: cum 20
vel longissimum tempus exiguum punctique instar sit, si cum infinita æternitate comparetur. & quod multi eorum qui luctui indulgissent, paulo post subsecuti sunt eos quos luxerant, cum nullam ex luctu perceperissent utilitatem, sed sponte sua miserijs sese afflictauerunt inanibus. Iam cū per 25
grinationi in hac vita nostra breuissimum tempus sit præscriptum, non debemus profectò in squalidis luctibus infelicissimoque mærore nosmetipsos doloribus conficere, corporaque nostra doloribus diurnis excruciare: sed conari potius, vt humaniorem sedemur melioremque vi- 30
uendi rationem, ijsque studiosè nos adiungamus hominibus, non qui se luctus nostri socios præbeant, eumque adulando excitent, sed qui generosa ac graui consolatione dolorem leniant. Et audire debemus, animoq; tenere Homericam illa, quibus Hector Andromachæ respondet, eamq; 35
consolatur:

*Consolatio
quaranda.*

Iliad. J.

486.

*Infelix, animum nimio ne confice luctu.
Nemo equidem iniussu poterit me occidere fatis.
At fatum nemo mortali semine cretus
Euitare suum potuit bonus aut malus Siquam.*

quod

quod fatum alibi sic expressit:

Stamina neuit ei nascenti qualia Parca.

Ilud. v.

128.

Hæc in animum nostrum inducentes, vano & inutili luctu superfedebimus, præsertim cum admodum breue super sit viuendi tempus. cui parcendum est, ne id lugubribus mortibus conturbemus: & luctus insignia deponenda sunt, habendaque corporis ratio, & eorum qui nobiscum viuunt salutis. Conducit etiam memoria repetere, quibus aliquando rationibus vsi sumus apud cognatos vel amicos in simili calamitate versantes, cum consolaremur eos & hortaremur vt communes vitæ casus communiter ferrent, ac humana humaniter. neque enim committere debemus, vt cum ad aliorum animos dolore leuandos fuerimus satis instructi, nobis nihil profitillarum consolationum recordatio. Ergo partem animi quæ in dolore est, statim præonijs rationis remedijs sanare conemur: cum in quaui re, quam in vacuitate doloris quaerenda, commodius dilatio admittatur. Cum enim tritum illud apud omnes dictum, Dilatorem quacunque in re pronunciet cum exito conficiari: multo magis hoc quadrabit in eum, qui animi molestis ac difficilibus perturbationibus amoliciendis tempus prorogat. Intuendū est etiam in eorum exempla, qui generosè magnoque animo filiorum mortes placidi pertulerunt. quales sunt Anaxagoras Clazomenius, Demosthenes Atheniensis, Dio Syraculanus, rex Antigonus, compluresque alij qui vel maiorum vel nostra vixerunt memoria. De his Anaxagoram narrant cum rerum naturalium causas auditoribus explicaret, interque disserendum de filij morte nuncium sermone cuiusdam acciperet, paululum oratione inhibita ijs qui vnà aderant dixisse, Sciebam filium me genuisse mortalem. Pericles, qui ob excellentem eloquentiæ & sapientiæ vim Olympius est vsurpatus, cum filios suos ambos, Paralum videlicet & Xanthippum, inaudiuisset extremū diem obiuisset, qualem se gesserit, Protagoras his verbis exponit. Cum filij, inquit, eius atate florentes atque egregij intra nonum diem vita decessissent, casum illum abique luctu sustinuit. Erat enim animi tranquillitate instructus: vnde in singulis dies magna percipiebat emolumēta ad felicitatem, doloris vacuitatem, & parandam apud ciues gloriam. quicunque enim videbat eum suos casus ita obfirmata mente tolerare,

lerare, magnanimum eum fortemque iudicabat, ac multo
 quam ipse esset praestantior, probè sibi conscius suæ in
 tali re imbecillitatis: cōtrā Periclem statim post acceptum
 de morte filiorum nuncium, nihilominus pro patriæ con-
 fuerudine albi que indutum vestibus verba ad concionem 5
 habuisse, bonorumque fuisse consiliorum principem, & A-
 thenienses ad suscipiendum bellum animasse. Xenophonem
 Socraticum historiæ tradūt, cū sacrificanti ipsi nun-
 cium è bello allatum esset, Gryllum filium in pugna perijisse,
 sertum capiti detraxisse, & quonam modo cecidisset per- 10
 quisiuisse. cumq; responderetur, eum generosè fortiterque
 præ cæteris præliantem, multis hostium interfectis occu-
 buisse: exiguò admodum temporis sumpto interuallo, dum
 ratione motum animi comperceret, rursus imposita capiti
 corona reliquum sacrificij absoluisse, nuncijsque hoc re- 15
 spondisse: Non vt immortalem, aut longævum filium me-
 redderet, à dijs postulavi (cū incertum sit an hoc ex-
 pediat) sed vt probum ac patriæ amantem: cuius quidem
 nunc voti sum damnatus. Dio Syracusanus (ita enim acce- 20
 pimus) cum federet consultandarū rerum causa cum ami-
 cis, & domi tumultus magnaq; vociferatio extitisset, scisci-
 tatus quid causæ esset, edoctusque filium de recto lapsum
 perijisse, nihil consternatus, corpusculum mortui iussit tra-
 di mulieribus, vt id sicut consuetudines ferebant sepelirēt:
 ipse autem deliberationem institutam profecutus est. Hunc 25
 imitatus fertur Demosthenes orator, cū vnicam & dile-
 ctissimam sibi filiam amisisset. qua de re Æschines ita eum
 accusat: Septimo a morte filia die, ante quàm luctu defun-
 ctus esset, aut mortuæ iusta perfoluisset, coronatus alba- 30
 tusque rem sacram fecit, legesque violavit improbus, vni-
 ca amissa filia, & quæ prima eum patrem appellarat. Hæc
 Æschines oratorio more protulit, eum vellet criminari De-
 mosthenem: neque animaduertit se eum laudare potius,
 qui luctu reiecto studium in patriam suam miseratione do-
 mesticorum antiquius sese habere ostenderit. Antigonus 35
 rex, vt accepimus, audita morte filij sui Alcionei, qui in præ-
 lio cecidisset, constante animo in nuncios calamitatis in-
 tuens, paululumq; vocem moratus, & vultu ad mœsticiam
 composito: ô Alcioneu, inquit, ferius opinione nostra oc-
 cubuisti, ad eò securè in hostes irruens, & neque tuæ salutis,
 neque

neque nostrarum admonitionum rationem habens. Hos quidem viros nemo non admiratur ob animi magnitudinem atq; prædicat: imitari autem facta eorum ob imbecillitatem malè instituti animi non possunt. Cæterum cum extent permulta in historijs & Græcis & Romanis exemplorum qui præclarè & decenter mortes necessariorum tulerunt: quæ ego retuli, sufficienti puto ad permouendum te, vt omnium rerum molestissimâ luctum deponas, superfedeq; inani, quæ in eum nulla vtilitate propoſita infumitur, opera. Nam quoddam homines virtute præstantes, in prima ætate mortem obiuerint deorum, quibus cari erant, beneuolentia, & iam ante monui in superiore orationis nostræ parte, & nunc denud quàm breuissimè indicabo, testimonium ferens insigni huic Menandri dicto:

15 *Iuuenis relinquit vitam, quem dii diligunt.*

Sed fortassis, Apolloni carissime, ita nobis occurrens: fuit Apolloniis meus fato ad hoc constitutus, oportuitq; me vitæ defunctû ab ipso funerari. Fateor sanè ita naturâ nostram, id est humanam, ferre. sed alia est ratio providentiæ vniuersum gubernantis, & ordinis quo totus mundus est dispositus. Illi enim beatitatem nunc adepti filio tuo secundum naturam non conueniebat diutiùs quàm præstitutus ei temporis ferebat terminus in hac vitâ commorari: sed ita postulabat natura, vt hoc expleto fatale iter conficeret, reuocante eum iam ad se natura. Dices immatura morte abreptum esse. atqui eo felicior est, qui tot mala non senserit. verè enim dixit Euripides:

Hæc vitæ nomine vitæ est, ipsa re labor.

Enimverd Apollonius tuus in pulcherrimo flore ætatis decessit, perfectus iuuenis, suspiciendus & æmulandus omnibus æqualibus suis: cum & in patrem matremq; fuisset pius, & domesticorum studiosus, philosophiæ deditus, denique (vt vno dicam verbo) prorsus humanus: vt qui seniores, non aliter quàm parentes reuereretur, & æquales sodalesq; amaret, & præceptores veneraretur, & cum peregrinis tum hospitibus mansuetissimus esset, & vultu gratioso, comique humanitate omnibus suavis carusq;. Ergo ille tuæ suæque pietatis comitante eum fausta acclamatione, ante nos ad æternitatem ex hac mortali vitâ digressus est: tâquam è conuiuio abiens priusquam in errorem ex temulentia aliquem

incideret, quales in longa senectute accidere solent. Iam si, ut probabile est, vera sunt quæ veteres poetæ ac philosophi perhibuerunt, pijs postquam vitam hanc cum morte commutauerunt, esse suos quosdam honores, dignioremque in confessu tribui locum, destinaramque esse pijs animis certam in qua degant regionem, bene tibi sperandum est de beato tuo filio, qui inter eos viuet. De statu piorum apud inferos Pindarus poeta lyricus in hanc sententiam dissentit:

*Fulget illis in bar Titanis,
Cum terras nox obumbrat,
Prætaq; puniceis ornata rosis
Eorum sunt suburbium,
Thurisiferis arboribus,
Et aureos ferentibus fructus opacum.
Exercunt alij sese equitatu,
Alij fidibus oblectant.
Floret apud illos læta rerum
Omnigenum copia.
Regioq; amœna semper
Fragrat varijs in ignem
Odoribus coniectis lucidum,
Diuitem super aras.*

& paululum progressus in alia lamentatione, ubi de animo loquitur, hæc habet:

*Felix fors obtigit omnibus,
Vita exsoluens laboribus
Mors, & calamitatibus.
Vix summa lethi corpora destruit
Superest imago vixit at xui,
A dijs qua sola propago ducta est.
Hæc dormit membris laborantibus,
Eiq; somnia monstrant
Qua comitetur voluptas
Bene facta, quæ se pœna
Mancant incestos actus.*

Diuius verò Plato de immortalitate animi multa in libro qui Phædo seu de animo inscribitur, non pauca etiam in libris de republica Menone, Gorgia, alijsq; sparsim disputauit dialogis. Sed quæ in dialogo de Animo sunt ab eo scripta, ea, sicut petisti, seorsim ad te mittâ commentario meo illustrata.

illustrata. Nunc ea adducam, quæ huius loci sunt, vtiliterq;
 hinc poni possunt, Socratis ad Calliclem verba Atheniensem,
 socium & discipulum Gorgiæ rhetoris. SOCRATES. Audi ergo sermonem perelegantem, quem tu, puto, fabulam
 arbitraberis esse, ego verum censeo. nam pro veris tibi dicam, quæ sum expositurus. Diuiserunt, vt est apud Homerum, acceptum hæreditate patris regnum inter se Iupiter, Neptunus, & Pluto. Fuerat autem de hominibus regnante, etiam Saturno hæc lex, valuitque semper etiamnumq; ob-
 10 tinet apud deos, vt quicumque hominum vitam suam iustè pièque exegisset, is ea defunctus in Beatorum insulas proficisceretur, ibiq; omnis mali expers in summa viueret felicitate. qui verò vixisset iniustè & impiè, is in vindictæ ac Iusticiæ carcerem, quem Tartarum appellant, abiret. De-
 15 his sub Saturno, & primo imperii Iouis tempore iudicabatur viui uiuentibus, ea ipsa diè sententiam ferentes, qua rei erant mortem obituri. quo fiebat, vt iudicia malè exercerentur. Itaque & Pluto & procuratores ex insulis Beatorum ad Iouem se contulerunt, questi que sunt utroque indignos
 20 commere. Ne in posterum ergo hoc fiat, efficiam ego, inquit Iupiter. Nunc quod malè feruntur sententiæ, causa est quia rei amicti ad tribunal adducuntur, dum adhuc viuunt. Multi enim prauos gerentes animos, vestiti sunt pulcris corporibus, natalium nobilitate, & diuitiis: & quando iudicio
 25 sistuntur, multi veniunt qui testimonium ipsis vitæ iustæ actæ perhibeant. Iudices igitur cum his rebus percelluntur, tum ipsi quoque amicti iudicant, cum animi eorum oculis, auribus, dentibus, toto denique corpore obuelati sint. itaque omnia hæc ipsis impedimento sunt, cum sui tum reorum amictus. Primum ergo eximenda hominibus est mortis prænotio. nunc enim terminum vitæ prouident, est que à nobis Prometheo iniunctum, vt efficiat ne porro id possint. Deinde in iudiciū venire debent, exuti istis rebus quas dixi omnibus mortui enim ad tribunal venire debent. Sed
 30 & iudices de iis cognoscunt nudi ipsi & vita defuncti, vt ipso animo animum cuiusque simulacris vita decessit contempletur, cum is defertur omnibus à cognatis omnem istum ornatum in terra reliquerit. sic enim iustè pronunciaripotest. Quæ ego cum mecum prius cõstituissem quàm à vobis sum admonitus, iudicium commēdaui filiis meis, duobus

Platonis
 ex primo
 Gorgia. de
 mortuorū
 statu.

"bus Aſianis Minoi & Rhadamãtho, vni Europæo Æaco. Hi
 "ergo poſtquam viuendi in terra finem fecerint, iudicia ob-
 "ſtunt in prato, in triuio, vbi itinerum eſt diuortium, vno
 "ad inſulas Beatorum, altero ad Tartarum pergente. In A-
 "ſia itaq; mortuos iudicabit Rhadamanthus, in Europa Æa-
 "cus. Minoi primariam iudicandi poteſtatem concedam: vt
 "ſi quid alterum eorum fugerit, ipſe ſententiis eorum exa-
 "minandis diu dicet, itaque iuſtiſſimo iudicio decernatur,
 "vtrum cuique hominum iter ſit ingrediendum. Hæc ſunt,
 "Callicles, quæ ego auditu percepta, vera eſſe arbitror, in-
 "deque ſic ratioe inor habere rem. mors, mea quidem opi-
 "nionẽ, aliud nihil eſt, quàm duarum rerum, animi ſcilicet &
 "corporis, à ſeſe inuicem diſſolutio.

Hæc ego collecta, Apolloni cariſſime, accuratiſſimè com-
 poſui, orationemque hanc conſolatoriam tibi conſeci, ap-
 primè neceſſariam & ad luctum præſentem excutiendum,
 & moleſtiſſimo dolori ſinem imponendum. Compſexus
 ſum etiam eum honorem, quem abs me deſerri diis acce-
 ptiſſimo filio tuo Apollonio conſentaneum fuit: quo ho-
 nore nihil optabilius eſt iis, qui faulta memoria ſui perenni-
 que famæ proſperitate conſecrati iam ſunt. Tui eſt offi-
 cii, obtemperare doctriinæ noſtræ, filioque eum te, quem
 par eſt, præbere; repudiataque inuili illa corporis animi-
 que tui adſiſtione & corruptela, ad conſuetam tibi & na-
 turalem vitæ rationem reuerti. Cùm enim filius tuus, no-
 biſcum adhuc communis huius lucis uſura fruens, illi-
 benter planè mortuos te matrẽ ve viderit: iam cum diis a-
 gens eorũmq; conſuetudine potiens, vtiq; hunc veſtrum
 viuendi modum probare non poteſt. Proinde animum bo-
 ni, generoſi, liberõſq; ſuos amantis viri recipe, & teipſum,
 matremque a doleſcentis, cognatosque & amicos miſeriæ
 iſti exime, tranquillõremq; vitæ amplectere formam, quæ
 cum filio gratiſſima tuo erit, tum nobis omnibus, quibus
 tu quantæ conuenit eſ curæ.

PLVTARCHI DE TVENDA

*Sanitate præcepta.**Perſona*